

Talia rite luit, qui se prefert meliori,
 Qui male se extollit, talia rite luit.
 Impedit omnimodis prebere levamen iniquis,
 Parcere et ingratis impedit omnimodis.
 Desine sponte viros in te stimulare nocivos,
 Conviciare malos, desine sponte viros.
 Cerne malis faveas, cassa mercede potita,
 Ut post peniteas, cerne malis faveas.
 Corripit illicitos presens quoque fana ¹⁾ cachinos ²⁾,
 Gestus et ludos corripit illicitos.
 Ammonet haec humiles prava vitare sodales,
 Ut fugiant fortes, ammonet haec humiles.

60. Elegiaco vero metro hos subnecti fecit versiculos:

Qui plus corde petit, quam prestat dextra tonantis,
 Hic merito perdit quæque parata sibi.
 Haec et mendaces depromit fabula testes,
 Urgent qui iustos calliditate viros.
 Fraudis amicitias, qui sub pietate ministrat,
 Iuste constructum sic cadit in laqueum,
 Iustus ab iniusto necnon et parvus ab alto
 Sterni suppliciis adsolet inmeritis.
 Internos aestus restringere rite monemur,
 Moribus a sanctis, quos haec pictura repellit.
 Indicat atque sequens fatuorum corda virorum.
 Gemmas qui celsè despiciunt sophiæ.

Porro maiestatem ipsius omnium creatoris tali modo vallari metrico carmine iussit:

Virtutum celebres iubilantes cerne cohortes,
 Distinctas quinis precipue soliis.
 Tunc procerum cuneis vallatum bis duodenis
 Factorem rerum hic venerare Deum.
 Splendent inde throni, numero variante quaterni.
 Quos reddit denos consociatus homo.

Sed tempus est ut sequentia teneamus.

61. Deinde prefatus pater Gauzlinus, quodam pictorum peritissimo a Langobardorum regione ascito, nomine Nivardo, insignis operis crucifixum componi precepit. Quo ad perfectum deducto, induti albis vestibus, processionem agimus cum fidelium utriusque sexus conventu; nec valet expleri, quos lacrimarum fluctus pietatis mentis extorserit affectus. Regredientes autem, et beati Petri apostolorum principis intrantes edem, retro aram in commemoratione dominicæ resurrectionis dicatam almifluæ crucis locamus presentiam; missarumque celebrantes misteria, monasterii gaudentes repetimus claustra. 62. Rursus Rodulfus, in omni arte fusoria peritissimus, velut alter Beseleel, tabulis hispanici cupri vario opere insculptis chorum psallentium circumdedit, sumptus subministrante hoc venerabili pastore. Has et columnarum seiunxerat intercalationibus, quas supradictus Nivardus scalpro celeberrimi compserat ædificii.

1) Sic! 2) So verbessert der Corrector aus: cassinos.